

tumor durus, reduncus, erigitur, qui in omnibus continuatus corpus angulatum efficit, quod versus caudam valde gracilescit. *Pinnas* circa branchias habet latiusculas duas, sub ventre totidem, sed longe minores, binis fibris constantes. In *dorso* inter squammarum extantias concavo, duas contiguas, parvas, omnes nigris lituris pictas. *Cauda* in pinnam subnigram exiguam et rotundam definit.

Dentes nullos habet, sed horum loco labia aspera, et in faucibus ofacula aliorum in morem hirta. Frequenter circa Nortslandiam insulam Oceani Slesvicensi Ducatui subiectam frequenter et per totum annum, in ostio Albis et Ederae saepe capitur. Incolae Steinbicker, Muller, et Bursbul vocant.

Vivitat squillis et aliis pisciculis. Habetur ob carnis dulcedinem in deliciis.

TITVLVS II.

DE LAEVIBVS.

CAPVT I.

De Husone.

TAB. XXV.
I.
Aldrovand.
de Piscibus
l. 4. c. 11.

HACTENVS de *πόδαμο θαλασσίῳ* piscibus squammosis egimus, sequuntur non squammati seu *Laeves Huso* nempe, *Eperlanus*, *Lampetra*, *Anguilla*, *Orbis* et *Holosteus Bellonii*, *Husonem*, quem a domo quasi Hauso, Germanis dici Bellonius opinatur. Plinius forte *Marionem*, quem Danubio Porculo marino similem extrahi dicit, vocat; quidam *Esocem*, appellarunt. Aeliano ni fallor est Antaceus, Germanicus. Magnitudinis est viginti quatuor pedum, et tantae, ut vix biga a tribus vel quatuor equis trahi possit. Vadianus magnitudinis pondus quadringentorum minimos quinquaginta, frequenter centum, ducenta, trecenta, vidit.

Dorsum habet asperum. Nullum os in capite, si Alberto fides, si aliis multa, in corpore parva et pauca, cartilaginea potius, quam solida. Loco *spinæ dorsi* cartilago est, quae foramen habet magnum et vacuum, a capite ad caudam tanquam terebello perforatum. Adipem pinguedini immixtum sicut porcus. Similia de suo Antacaeo Aelianus. Cum aetate processerunt, ad maximi Thunni magnitudinem, in Istro accedere scribit, et tam pingui abdomine esse, ut eorum ventrem lactentis suos foe-

tus scrophae ubera dicas, sicque aspero corio tegi, ut eo perpoliantur hastae. Addit item capitis medio a medulla ad caudam mollem et strictam membranam pertinere, ex qua ad assum solem exsiccata, flagella ad concitanda iumenta efficere possis. E Ponto Danubium subit, et per centum quinquaginta miliaria Germanica, adversis suavibusque undis progreditur.

De ejus captura, ita quidam ad Gesnerum mercator. Mitto tibi, inquit, Husonis piscis effigiem vivam. Is in Danubio, nec ubique, nec tempore quovis, capitur, sed quando migrat. Terra argillosa et pingui gaudet. *Capitur* fere ab autumnus usque ad Ianuarius, spatium decem miliarium inter Viennam et Posonium, Presburgum vulgo vocant: ubi ad insulam Schutam nomine, cum arce minutissima, ultimus hujus piscis capturae locus est.

Viennae die Veneris plerumque quinquaginta vel septuaginta, et aliquando centum Husones, vaeniunt, qui integri fere distrahuntur. Copiosissima eorum captura fit in Walachia juxta Chiliam non procul ab ostiis Danubii, quibus in mare Ponticum se exonerat. Inde falsi exportantur in remotas regiones.